


SIGISMVNDVS




Dei gratia, REX Poloniæ, Magnus DUX Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoniæ, etcetera, dominus et heres. Vniuersis & singulis in quorum manus he nostræ literæ peruenerint,
planum testatumque facimus, Quod cum et a Consiliariis, et a reliquis Ordinibus terrarum nostrarum Prussiæ, una omnium uoce, fuisset nobis supplicatum, vt tres tantum non
quatuor esse uellemus Judiciorum instantias, ita ut a secunda instantia recta ad nos, non autem ad Consiliarios terrarum nostrarum Prussiæ fieret appellatio: Nos tantum
esse ea in re omnium ordinum consensum uidentes, atque illud una considerantes, quod & Juris ordini magis congruit, et cum ipsis litigantibus; tum Consiliariis terrarum no-
strarum Prussiæ minus est onerosum futurum, quorum illi sumptu inutili: hi uero superuacaneo labore & molestia liberabuntur: si tres tantum Judiciorum instantiæ obser-
uentur. Judicia Ciuitatum et Oppidorum nostrorum Prussiæ in hunc ordinem redigenda putauimus, ita ut præsentibus redigimus, Maioribus in Ciuitatibus terrarum no-
strarum Prussiæ, apud Judicium Scabinorum primam esse uolumus Instantiam, a quo ad Senatum, a Senatu recta ad tribunal nostrum Regium appellationem fieri. In
minoribus uero Ciuitatibus prima ut sit Instantia apud Judicium Ciuile, a quo si litis æstimatio non excedat precium aut ualorem quinquaginta marcarum prutenicalium
leuis monetæ, possit fieri appellatio ad Capitaneos & præfectos locorum, et ibi fiat secunda Instantia: A quibus cui uisum erit liceat appellare ad tribunal nostrum
Regium; Vbi uero ualorem quinquaginta marcarum excesserit, fiat appellatio a Judicio Ciuili ad Consiliarios terrarum nostrarum Prussiæ, ut apud eos tunc secunda sit
Instantia, a quibus recta ad Regium tribunal nostrum appelletur. Quod autem attinet ad Judicia terrestria, maneat et seruetur per omnia ut est in Constitutionibus
expressum. Hunc nos Appellationum ordinem inuiolate ab omnibus in Maioribus et Minoribus Ciuitatibus terrarum nostrarum Prussiæ uolumus obseruari, et man-
damus: terciam Instantiam apud nos et non alibi esse debere præsentibus decernimus. Harum quibus sigillum nostrum est appensum testimonio literarum. Datum
Cracouiæ feria quarta in Vigilia sancti Mathei Apostoli et Ewangelistæ. Anno domini Millesimo, Quingentesimo, Quadragesimo secundo. Regni uero nostri



SIGISMVNDVS









Dei gratia, REX Poloniæ, Magnus DUX Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, etc., dominus & heres. Vniversis & singulis in quorum manus he nostræ literæ pervenerint, planum testatumque facimus, Quod cum & a Consiliariis, & a reliquis Ordinibus terrarum nostrarum Prussiæ, una omnium voce, fuisset nobis supplicatum, vt tres tantum non quatuor esse vellemus Iudiciorum instantias, ita ut a secunda instantia recta ad nos, non autem ad Consiliarios terrarum nostrarum Prussiæ fieret appellatio: Nos tantum esse ea in re omnium ordinum consensum videntes, atque illud una considerantes, quod & Iuris Ordini magis congruit, & cum ipsis litigantibus; tum Consiliariis terrarum nostrarum Prussiæ minus est onerosum futurum, quorum illi sumptu inutili: hi vero supervacaneo labore & molestia liberabuntur: si tres tantum Iudiciorum instantiæ observentur. Iudicia Civitatum & Oppidorum nostrorum Prussiæ in hunc ordinem redigenda putavimus, ita ut præsentibus redigimus, Maioribus in Civitatibus terrarum nostrarum Prussiæ, apud Iudicium Scabinorum primam esse volumus Instantiam, a quo ad Senatum, a Senatu recta ad tribunal nostrum Regium appellationem fieri. In minoribus vero Civitatibus prima ut sit Instantia apud Iudicium Civile, a quo si litis æstimatio non excedat precium aut valorem quinquaginta marcarum prutenicalium levis monetæ, possit fieri appellatio ad Capitaneos & præfectos locorum, et ibi fiat secunda Instantia: A quibus cui visum erit liceat appellare ad tribunal nostrum Regium; Vbi vero valorem quinquaginta marcarum excesserit, fiat appellatio a Iudicio Civili ad Consiliarios terrarum nostrarum Prussiæ, ut apud eos tunc secunda sit Instantia, a quibus recta ad Regium tribunal nostrum appelletur. Quod autem attinet ad Iudicia terrestria, maneat & servetur per omnia ut est in Constitutionibus expressum. Hunc nos Appellationum ordinem inviolate ab omnibus in Maioribus & Minoribus Civitatibus terrarum nostrarum Prussiæ volumus observari, & mandamus: terciam Instantiam apud nos & non alibi esse debere præsentibus decernimus. Harum quibus sigillum nostrum est appensum testimonio literarum. Dat. Craconiæ feria quarta in Vigilia sancti Mathei Apostoli & Ewangelistæ. Anno domini Millesimo, Quingentesimo, Quadragesimo secundo. Regni vero nostri Anno trigesimo sexto.

Sigismundus Rex



Privilegium instantiarum in Maceribus
et Muneribus [illegible] observandar.